BERNARDUS CLARAVALLENSIS. NICOLAUS CLARAVALLENSIS. OGLERIUS DE LOCEDIO
Heiligenkreuz (?), Wende 13./14. Jh. (?) Seite 88v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift



dampnabile sic sentire. Non enim est contra fidem. Sequitur. Non quo
modo mundus dat ego do uobis. Quem pacem dat mundus iste. Pacem falsam
pacem fictam sophisticatam palliatam. Pax autem est uinculum amoris in
dissolubilis compago caritatis. Sed quid amat mundus. Prorsus utique
nichil amat. nichil diligit cuncta odit. cuncta perimit et occidit. ab in
gressu in mundum. ab egressu matris proprie uteri usque tandem ad regres
sum uentris terre omnium matris. Quid habet homo miser a mundo. Famem
sitim. nuditatem. frigus crucians. cauma perturbans. scabiem cutis. do
lorem capitis. cyrogram in manibus. podagram in pedibus. morbum in pectore. Un
dique miseria intus et extra. Foris illum interficit gladius. domi mors simi
lis est. Adultimum morte sua seua cunctos prosternit et deicit. Ecce qualis
est amor mundi. qualis dilectio mundi. et tamen miseri homines mundi
fallaciam non attendentes. odientem se diligunt. et seuo eius gladio spon
te se submittunt. Isti miseri sunt sine prudentia. sed utinam saperent
et intelligent. et ea que uentura sunt in nouissimo tempore prouident.
tunc profecto mundum odirent. et non diligent. Dicitur etiam aliter mundus.
scilicet transeuntium rerum amatores. sed qualis sit pax et concordia inter
illos sapiens facile aduertere poterit. Igitur spiritum huius mundi mundo
relinquentes et eius pacem et concordiam fallacem. ad pacem domini nostri ihesu christi.
adhuc saltem redeamus. quam eius dilectionem eam esse credamus qua di
lexit nos et lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Hec uidetur non
esse absurda dilectio. Nam hec est illa dilectio qua deus sic mundum di
lexit ut se ipsum mundo daret. ut omnis qui credit in illum non per
eat. sed habeat uitam eternam. Hanc pacem scilicet caritatem reliquit dominus
discipulis. cum animam suam pro illorum salute dedit. i. quando corpus illud sacra
tissimum quod de intemerata uirgine sumpsit. ita clamide coccinea
irrisiue uestitum cruci exposuit confusione contempta. Hanc igitur